



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

57. De eadem re.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14622

De eadem re. *Ex Concilio Laudicensi.*

Concil. Laod.
c. 28.
Burchard. lib.
3. c. 82.

LVII. Non oportet in domiciliis divinis
five Ecclesiis agapen facere, & intus mandu-
care, vel accubitus sternere.

Ut nemo præsumat in Ecclesia vinum ven-
dere. *Ex Concilio Turonensi.*

Burchard. lib.
3. c. 84.
Vide Capitu-
lare Riculfi
Suession. c. 13

LVIII. Perlatum est ad sanctam synodum
quòd quidam Presbyteri in Ecclesiis sibi com-
missis tabernas, quod nefas est, constituent,
ibique per caupones vinum vendant aut ven-
dere permittant, & ubi tantummodo oratio-
nes & verbum divinum Deique laus debuerit
resonare, ibi comestiones & ebrietates fiant,
ibi risus & plausus & verba turpia, ibi rixæ &
contentiones resultent, quod quam sit Deo
contrarium, Dominus Deus demonstrat; qui
cùm invenisset in templo vendentes & emen-
tes & nummularios sedentes, facto funiculo
de resticulis, omnes ejecit de templo. Si enim
ea quæ licitè vendi videbantur in templo, &
ad hoc emebantur ut in eodem templo offer-
rentur Domino, ipse foras ejecit, quid putas
de tam pestifera præsumptione & Dei con-
temptu fiet? Et si non solùm sacerdotibus sed
etiam omnibus Clericis præcipitur ne taber-
nas ingrediantur, quis audire potest ut Eccle-
siæ Dei tabernæ fiant? Itaque interdicit per
omnia synodus ne hoc impofterum nullatenus
fiat. Quod si factum fuerit, Presbyter depona-
tur; laici, communionem privati, ab Ecclesia,
quam dehonestaverunt, expellantur.